



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus IV. Verbum Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS III. VERBUM. VERBA.

§. I.

Figure, Symbola.

Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinae. Exod. 20. 18. Lampades quidem videri potuerunt; at sonitus buccinae, & voces, qui videri queunt? Dei voces magis ad oculos, quam ad aures pertinent: quia potius computandæ sunt cum rebus, quam vocibus. Pinna in Eccl. Ethol. 261.

Ne obliviscaris verborum. Deut. 4. 9. id est, rerum, & portentorum. Sic verbum pro re accipitur. Psal. 90. 3. *liberavit me de laqueo venantium*, & à verbo aspero, id est, à re aspera, & acerba. Et Luc. 1. 37. *non erit impossibile apud Deum omne verbum*, id est, omnis res. Cornelius hic.

Præceptum Domini lucidum. Psal. 18. 9. Colores quidem lucem excipere possunt; at quomodo præceptum, quod ore profertur, potest illuminare? Quia eloquia divina ad res magis pertinent, quam ad verba: unde, sicut res ista lumen excipiunt, sic etiam Dei sermones. Idem ibidem.

Lingua mea calamus scribae. Psal. 44. 2. Quia, quod lingua dicitur, sonat, & transit; quod scribitur, manet. Cum ergo dicat Deus Verbum, & Verbum, quod dicitur, non sonet, & transeat; sed & dicatur, & maneat; scriptis hoc Deus maluit comparare, quam sonis. S. August. hic.

Canet tuba. 1. Cor. 15. 52. Quæ est ista tuba, quæ inferis infert bellum, sepulchrorum resolvit moles, intonat mortuis vitam, resurgentibus in lucem perpetem dat triumphum? quæ est? illa; quam Dominus dixit: *mortui audient vocem Filij Dei.* Joan. 5. 25.

§. II.

Verba Christi in cruce.

Quanto brevius dicta sunt; & in articulo, quò seria, & necessaria, agi rerum circumstantia postulat; tantò diligentius inquirenda sunt. Arnoldus Carnot. tr. de 7. V. in Præfat.

DEUS meus! Deus meus! ut quid dereliquisti me! Matth. 27. 46. Absentat se Passionis divinitas. Hoc solius carnis est; in hoc solo se deserit Filius innuit: ut undique sana fi-

dei veritas elucescat, & palàm sit: quia, secundum quod DEUS est, omnino non moritur; Secundum quod homo est, dispensatoriâ ratione ad tempus moriturus deseritur. Idem hic. Nescio, fratres mei, si ullus mortalium intelligere possit in hoc mysterio querulæ vocis; quanta, qualiâve, sunt sacramenta, quæ effert? S. Paschas. l. 12. in Matth. Origenes putat, queri Christum de paucitate salvandorum, & multitudine damnandorum; qui fructu Passionis, & mortis, ejus exclusi sunt. Vox plena mysteriis, & doctrinâ, ait.

Consummatum est. Joan. 19. 30. S. Isidorus l. 2. different. lit. P. notat: quòd Christus dixit: *Consummatum est*; & non, perfectum est: nam inter utrumque, ait, est differentia. Perfectum est, cui jam addi nihil potest. Consummatum verò, est quodlibet opus in finem deductum. Indè Christus D. opus redemptionis nostræ dicit esse consummatum, & non perfectum: nam adeò vehemens est ejus amor; quòd non videatur ei totum exhibitum, quòd eum postulat, & exoptat. Sylveira hic.

Pater! in manus tuas commendo Spiritum meum. Luc. 23. 46. Primum Verbum à Christo prolatum ait: *nesciebatis? quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Luc. 2. 49. Sic ultimum verbum fuit: *Pater! in manus tuas.* Stella hic.

Nota bene: quia non videbis in tota Scriptura septem verba, tantæ dulcedinis, & efficitatis. S. Bernardinus tom. 4. l. 45.

§. III.

Verba humana.

ET folium ejus non disluet. Pl. 1. 3. id est, verbum non deorsum fluat. Hugo Card. hic. Otiosum verbum est; quòd, aut ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis, caret. S. Gregor. lib. past. curæ. p. 3. c. 15.

Vilis, & volatilis, res, verbum hominis, nullius molis, nullius ponderis, nullius pretij, nullius soliditatis: aërem verberat; unde & verbum dicitur. S. Bernhardus f. 2. in festo SS. Petri & Pauli.

Sicut avarus nummos, ita Religiosus verba sua trutinare debet: nè inutiliter, aut sine lucro, verbum aliquod dicat. Thom. Kemp. f. 8. ad fratres,

TITULUS IV. VERBUM DEI.

§. I.

Figure, Symbola.

Concresecat, ut pluvia, doctrina mea &c. Deut. 32. 2. Quædama prædicatio est quasi imber hyemalis, cum peccatores minis ter-

rentur, ut convertantur. Alia est instar vernæ pluvie, suavis, & placita; cum exhortatur homines, vel ad poenitentiam, vel ad majores in virtute progressus, spe regni cœlestis; vel ex gratitudine propter accepta beneficia &c. de Ponte in Cant. 2. Exh. 16. §. 14. Imber ergo

NOTAT

notat eloqui, & sapientiae primò copiam, secundò suavitatem, tertio fecunditatem: quòd fructum è cordibus audientium producat, similem illi, quem imber producit, & terra. Quartò quòd è nube sapientiae proferatur, quasi è re non terrenà, sed coelesti: adeoque ejus originem esse à Deo in coelis. Cornelius in Eccl. 39. 6.

Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Prov. 25. 11. V. Beda: verba Prædicatoris, appositè ad captum Auditorum conennata, sunt mala: quia de arbore vitæ; hoc est, de Dei sapientia, sunt orta.

Murenulas aureas faciemus tibi. Cant. 1. 10. Murena piscis est, qui captus vertit se in circulum, ad ejus exemplar fit inauris, quæ murenula dicitur. Quâ significatur prædicatio, quæ auribus inhaeret, & eas penetrat. S. Gregor. hic.

Guttur tuum sicut vinum Optimum. Cant. 7. 9. Siculi, ait Nigridius Siculus, vinum optimum vocant vinum mortuorum: quòd quasi mortuos suscitaret, & loqui faciat Cornelius hic. In gutture vox est: per guttur ergo ipsa prædicatio designatur: quæ, quasi vinum optimum, esse dicitur: quia mentes hominum inebriat; ut præteritorum obliviscantur; & in anteriora currentes, non lassentur. S. Gregorius apud Cornelium hic.

Et in manu ejus calculus. Isa. 6. 6. S. Hieron. & Haymo, per calculum accipiunt Verbum Dei; quòd petitus ab altari, id est, Scriptura.

Omnes sitientes venite ad aquas. Isa. 55. 1. Divina doctrina dicitur aqua, quia infirmos sanat: aqua sapientiæ salutaris potabit illum. Eccl. 15. 5. Inquinatos mundificat: effundam super vos aquam mundam. Ezech. 36. 25. sitientes satiat: si quis biberit ex aqua &c. Joan. 4. Secundò dicitur vinum: quia pungit arguendo; quia accendit exhortando: eloquium Domini inflammavit eum. Ps. 104. 19. quia inebriat consolando. S. Thom. Aqu. hic.

Nunquid non verba mea sunt quasi ignis; & quasi malleus contereus petram? Jer. 23. 29. Verba Domini quasi ignis sunt: quia frigus expellunt, calorem mentibus ingerunt. Malleus autem sunt: quoniam obstinationis, & perversitatis, duritiam molliunt. B. Petr. Dam. 1. 2. ep. 1. Porro faber ferrarius. &c. 1. Reg. 13. 19. est Prædicator, qui operatur in igne, vel malleo, super incudem, id est, in verbis Scripturae Sacrae, quæ sunt ignis, & malleus. Hugo Cardin. in 1. Reg. 13. 19. Verba Domini sunt ignis: quia consumunt rubiginem peccatorum; calefaciunt ad amorem Dei; & illuminant ad cognoscendos articulos fidei. Sunt etiam malleus: quia duritiam cordium frangunt, & emolliunt, ad compunctionem. Incus est cor peccatoris: super quem debet Prædicator operari, & formare vas in honorem in domo Domini. S. Hieronymus apud Hugo Card. citatum.

Respondit Angelus, & dixit. Zach. 1. 12. id est, sermo Dei loquens in me. S. Cyrill.

Alexand. Comment. in Os. consueverunt SS. Prophetæ Dei sermonem appellare Angelum: utpote annuntiantem iis, & manifestantem voluntatem Dei Patris.

Ex Novo.

Non veni pacem mittere, sed gladium. Matth. 10. 34. Qui gladium illum arripiunt, gladium Verbi Dei; hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum servaverunt. Deut. 33. 9. Rupertus Abb. 1. 2. c. 13. in Deut.

Quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas. Matth. 23. 37. Quia Christus venerat congregare, sicut gallina, pullos suos; ovum protulit verbi: per quod Ecclesiæ germina Sancta nutrentur. S. Chrysost. f. 55.

Ut det illis in tempore tritici mensuram. Luc. 12. 42. Triticum est Verbum Dei: quòd mensuram charitatis, vel veritatis, excedere non debet; sed secundum capacitatem Auditorum, & temporum, mensurandum est. S. Bonaventura. f. 2. D. 1. post oct. Pent.

Cum usuris utiq; excessissem illam. Luc. 19. 23. Venit erogata pecuniam exigere cum usuris. Et quæ est ista pecunia? quam Evangelica observantia? Verba sunt vitæ seminata, Venit seminator ille sermonis sui colligere fructus, pecuniæq; suæ exigere pensas. S. Laurentius Ep. Novar. hom. de elemos.

De throno procedunt fulgura, & voces. Apoc. 4. 5. Hoc est, quòd Marcus ait: illi autem profecti prædicaverunt ubiq; &c. V. Beda hic.

Ex Patribus. Symbola, & laudes.

Quid mentes Auditorum, nisi Scyphi sunt; quæ Sanctis prædicantibus vinò scientiæ replentur? S. Greg. hom. 6. in Ezech. 1. post initium.

Habet Verbum Dei epulas suas: alias fortiores; ut est Lex, & Evangelium: alias suavior; ut sunt Psalmi, & Cantica Canticorum. S. Ambros. Oct. 22. in Psal. 118. Eructavit. cor meum &c.

Quid sunt aliud divina eloquia, nisi quædam lilia; emanantia candorem puritatis, & gratum puritati spirantia odorem suavitatis? S. Amedeus Ep. hom. 6.

§. II.

Verbum Dei necessarium.

Ex Veteri. Novo, & Patribus.

Si continuerit aquas, omnia siccabuntur. Job. 12. 15. Aqua scientia est prædicationis. S. Greg. mor. 1. 11. c. 6. Omnia exarescent; nec remanebit aut modestia flos, aut germen pietatis, aut pomum justitiæ: imò timendum; nè verà fide excidat orbis Christianus defectu Verbi divini. Oliva t. 2. conc. 3. in festo S. Luciae.

Cum prophetia defecerit, dissipabitur populus. Prov. 29. 18. Cur Christianus orbis tam ear perditum, quid aliud in causa est? nisi quòd Verbum Dei negligitur; & quanta sit ejus utilitas, ignoratur. Ibid. Clarius 1. 1. or. 50.

Mittam famem in terram. Amos. 8. 11. *Non famem panis, sed audiendi Verbum Domini:* cum statim subjicit: *in illa die deficient virgines pulchrae.* S. Hieron. hic: ex quo colligimus, quando doctrina non fuerit in Ecclesiis,

clisus, perire pudicitiam, castitatem mori; omnes abire virtutes: quia non comederunt Verbum DEI.

Non in solo pane &c. Matth. 4. 4. Quemadmodum merito desperatur vita naturalis ejus, qui corporalem cibum non sumit; vel sumptum non retinet: sic rationabiliter desperatur spiritalis vita illius, qui Verbum DEI non audit, atque custodit, Dionys. Carth. hic.

Vos estis lux Mundi &c. Matth. 5. 14. hoc est: quam necessarius est sol vitæ corporali; tam necessarii sunt Concionatores spiritali vitæ. Si totò mense sol non oriretur, stupore moveremur, O Concionatores! nē in vestris sanctis exercitationibus sistatis: quodsi vos quieveritis, lucemque amiseritis; quid erit animabus? Jeremias populi mala deplorans, inter reliqua dicit: *aspexi terram; & ecce vacua erat, & nihil.* c. 4. 23. Causam addit: *aspexi celos, & non erat lux in eis.* Diez conc. 2. in Comm. DD. Sicut omnes morerentur, si unā die sol cessaret sol facere cursum suum; qui habet splendorem, calorem, & vigorem: ita, si Verbum Dei deficeret, quod est sol animæ; scilicet, quod Verbum Dei non predicaretur, & non communicaretur animabus; ut possint incitari, & illuminari splendore veritatis, & calefieri in ardore illius; omnes spiritaliter morerentur. S. Bernardinus tom. 4. l. 5.

Certissimè scire: quia qualis est caro, quæ post multos dies percipit cibum, talis est anima, quæ assidue non pascitur Verbo Dei: ad nullum opus bonum congrua invenitur. S. August. l. 50. de temp.

Quod est esca carni, hoc est animæ fides: quod cibis corpori, hoc Verbum Spiritui. S. Cyprianus de Cæna Dom.

Cibus verus naturæ rationalis, sermo Dei est. Origenes hom. 27. in Num.

Verbum Dei, & cibus noster est, & gladius, & medicina, & confirmatio, & requies. S. Bernardus l. 24. de div.

Oportet nos esse perpetuò munitos: bellum enim hoc nullam novit dilationem, nec ulla inducias: non habet nec legatos nec feciales: bellum non indicitur; & ideo oportet se maximè undequaque munire. Hujus autem belli commensus, & horum militum arma, sunt divinarum Scripturarum auditio: eā qui non fruitur, fame perit. in Ps. 143.

§. III.

Verbi divini fructus, & utilitas,

præcipue peccatoribus.

Figure, & Symbola.

Ex Veteri, & Novo.

Verba sapientum, sicut stimuli, & quasi clavi in altum defixi. Ecclæ. 12. 11. Duobus vitiis totum genus humanum dignoscitur laborare: videlicet tarditate desidiæ, ad ea, quæ salubria sunt: & præcipitiò impetuositatis ad ea, quæ noxia sunt. Ideò duobus indiguit remediis: quorum alterò urgeretur ad utilia; alterò retineretur à noxiis. Et ideo doctrina sapientum duo genera sermonum continet, quorum alterum vocat Salomon *stimulos*, alterum *clavos*. Hugo Card. hic.

Ossa arida, audite Verbum Domini. Ezech. 37. 4. Auditò ex ore Ezechielis verbò Dei, revixere.

Eussundam super vos aquam mundam, & mundaabimi. Ezech. 36. 25.

Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo &c. Matth. 4. 4. Quisquis Verbò Christi pascitur, terrenum pabulum non requirit: nec enim potest Saculi panem cupere, qui pane vescitur Salvatoris. S. Ambros. l. 36. de Quadrag.

Et continuo gallus cantavit. Matth. 26. 74. Gallus est sermo; qui non finit nos torpere, & dormire; sed dicit: Vigilate. Et: surge qui dormis. Theophylactus hic. Quatuor sunt, quæ faciunt hominem vigilare: galli cantus, id est, prædicatio divini Verbi &c. Hugo Card. in Matth. 24.

Tollite lapidem. Joan. 11. 39. Tollitur lapis situatæ duritiæ; cum per Prædicatorum vocem Auditor, aut amore mollior, aut timore conteritur. Sim. Cass. l. 5. c. 15. hic.

Audite vocem - tanquam tubæ. Apoc. 1. 10. Tuba ad pugnandum militis evocare solet: similiter & nos sermo Dei, ad pugnandum contra diabolum, atque vincendum, incitare non desinit. S. Ambros. hic.

Testimonia. Ex Veteri.

Vocem tuam audivi. Gen. 3. 10. Licet cæcus & stupidus, fuerit Adam; ideo tamen speranda erat ejus salus: quia audiit Deum loquentem; & locutus ipse vicissim est. Licet cætera in peccatore deficiant; sperandum tamen de ejus sanitate, in quo adhuc duo liberi sensus Deo patent, nempe auris & lingua: ut audiat Deum, & cum eo loquatur. Mira est enim vis Verbi Dei, mira vis confessionis, & oratio.

Vox Domini in virtute. Psal. 28. 4. quia per eam fiunt miracula spiritalia: *cæci vident, claudi ambulant.* Matth. 11. 5. *Misit servum suum, & sanavit eos.* Psal. 106. 20. Hugo Card. hic Sect. 25.

Neque urgeat super me puteus os suum. Psal. 68. 16. S. August. vertit: *non claudat.* Bernardus hic.

Ecce constitui te hodie, ut evellas &c. Jerem. 1. 10. Sed quò ferrò? quà manu? *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* v. 9.

Ex Novo.

Esto consentiens adversario tuo citò, dum es in via cum illo. Matth. 5. 25. Adversarius tuus Dei sermo est verbi causā: forsitan delectat te inebriari dicit tibi: noli. Delectat te spectare, & nugari. ille dicit tibi: noli. &c. O quàm bonus adversarius! quàm utilis adversarius est nobis, qui diu fumus & ipsi nobis. S. August. l. 1. de V. D.

Omnis, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui edificat domum suam supra petram. Matth. 7. 24. Sapiens est vir, qui edificat domum suam supra petram, id est, Ecclesiam; huic similis, qui audit Verbum Dei: quia licet non omnino immobilis in virtute perseveret; difficile sanè est, ut labatur. Pinna Ethol. 9.

Quid

Quid ergo faciemus? Luc. 3. 10. Si Verbum Dei in veritate à Concionatore processit, si verè ad audientium corda pervenit; protinus timorem incutit; timor verò cautelam à periculis facit inquirere signum evidentissimum profectus verbi, timor, & computatio audientium: quoniam statim se conferunt, unde aeterna possint cavere pericula. Sim. Cass. l. 13. hic.

Ecce mulier. Luc. 7. 37. Mota ad cœlestis Doctoris verbum, suorum peccatorum mole contrita, liquefacta dulcedine Christi, tracta decore conversationis, fida in animo, de benignitate ipsius sperans remissionem peccatorum, incensa igne charitatis illius; opportunitatem perveniendi studiò impigrò quærebat. Idem l. 8. c. 40. Hæc mulier famam audierat de JESU; & cum turbis sequentibus aliquando eum audierat prædicantem. In quem defixò corporis pariter ac mentis aspectu, contemplans vitam, ponderans verba, considerans sanctitatem, virtutem in jam factis miraculis, plurimi eum existimaret. Idem l. 9. c. 29.

Commovet populum. Luc. 23. 5. Verum dicebant; sed sub intentione fallendi Commovit sanè populum in mente propter altitudinem Verbi sui, ac per doctrinam mellisfluam; quam etiam operibus validabat. - Commovit animos hominum ad spem supernæ vitæ, iniitans viam novam. Idem l. 13. hic.

Amicus sponsi, qui stat, & audit eum. Joan. 3. 29. Ideò stat, quia audit; de interiori fonte bibit, ideo stat. Illi, qui noluerunt de interiori fonte bibere, ideo expulsi sunt; nec potuerunt stare. S. August. tr. 15. in Joan.

Qui ex Deo est, verba Dei audit. Joan. 8. 47. Cupiens in hac vita cognoscere Deum, audiat verba Dei; cujus cognitio in fide conceditur; & fides ex auditu est. *auditus est autem per verbum Christi.* Rom. 10. 17. Volens amare Deum; audiat verbum Dei: eruditur in illo ad Zelum secundum scientiam. Dispositus ad agones audiat verbum Dei; nè supra se indebitè raptus in inferiora labatur. Idem l. 11. cap. 40.

Oves vocem ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim. Joan. 10. 3. Conveniunt ad Adam leo, ursus, tigris, lupus, bos, ovis, aquila &c. ut ejus vocem audiant, & pareant. Gen. 2. 19. Ad secundum Adam non leones, non lupi, sed tantum oves veniunt, & ab eo nominantur. Venerunt ad eum feræ, sed mox, ut ejus vocem audierunt, & intra ejus ovile, Ecclesiam, ingrediuntur; jam ex sanguinariis bestiis, omni posita crudelitate, in oves mites mutantur. Sylveira hic.

Ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. Act. 9. 7. Desinit videre secularia, qui incipit videre divina. S. Ambros. l. 2. de Abrah. c. 9.

Surrexit autem Saulus de terra, aperitq; oculis nihil videbat. Act. 9. 8. Amisit visum, non auditum: quia vocem Domini audivit. Castilo filat. 278.

Polyantha Sacra. Tom. II.

Suadeo tibi emere à me aurum, ignitum. Apoc. 3. 18. Si discere lubet, à me, qui veras, stablesq; opes largior, ferventi desiderio ignitum aurum emito: nempe Sacra doctrinæ verbum igne exploratum, splendidumq; reditum. S. Andreas Casar. f. 3. in Apoc.

Ex Patribus, & aliis.

Pleraque Symbolicè.

Verbum Dei lux est, Verbum Dei nix est Super mel quoque, & favum est Dei Verbum: quod ore divino melle dulcior fluxit oratio; & perspicua nivis ritu mollioribus cadunt verba sententiis. Verè hic solus sermo nivibus comparandus; qui de cœlo missus in terras jejuna nostrorum arva pectorum fecundavit. S. Ambros. l. 7. in Luc. Erant autem Moyses, & Elias &c.

Admiranda sunt opera Verbi Dei: per ipsum enim vita amoris, & charitatis, in anima generatur. S. Bernardinus tom. 2. f. 9.

Verbum Dei hamo simile est: quia, nisi capiatur, non capitur. Idem ibidem.

O quam bonum Verbi Dei rete salvificum, & indissolubile, non mortalis artificis manu contextum; sed Spiritus S. sapientiæ connexum, atque compositum. S. Laurent. Just. de triumph. &c. c. 27.

Quando Deus vult venire per gratiam in mentem alicujus, ad ipsum justificandum; primò pramittit Joannem prædicantem: quia singularis introitus DEI in corde peccatoris est per prædicationem. S. Vinc. Ferr. serm. 7. D. 3. Adv.

Inter cœtera remedia, quæ, ad conservandam animi innocentiam, juvare plurimum possunt, præcipuum est audire Verbi Dei. Isidorus Clarius l. 1. or. 63.

Lumen est agris oculis odiosum, sic Verbum Dei hominibus pravè dispositis molestum. Excitat lux pigritiam: sic Verbum Dei excitat mentem surgendi è lecto peccati: *surgere, illuminare Jerusalem.* Isa. 60. 1. Geminiani l. 1. c. 82.

Ex modica scintilla fit sæpe maximus ignis: sic aliquando ex brevi prædicatione sequitur magnus fructus. Idem ibidem.

§. IV.

Verbi Dei efficacia.

Figuræ, Symbola.

Sexcentos viros vomere. Eccl. Judic. 3. 31. Vomer significat vim Verbi Dei in anima; quò eradicantur spinæ vitiorum, & cordis duritia molitur. Isa. S. Hieron. in Il. 2.

David tollebat citharam. Eccl. 1. Reg. 16. 23. Potior vis hujus citharæ erat supernaturalis. Rupertus per citharam accipit dulcedinem prædicationis Evangelicæ: hac enim suâ suavitate ad se rapuit omnes gentes. Cornelius hic.

Eruçavit cor meum Verbum bonum. Ps. 44. 1. *Comede volumen istud.* Ezech. 3. 1. q. d. hæc traditio voluminis Symbolum est Legationis tuæ. Sicut Doctores creantur, tradendo

Q. 50 00

dendo

dendo librum; sic hic Ezechiel creatur Propheta, accipiendo volumen prophetiarum à Deo. Comestio verò significat ea, quæ in illa audis, & vides, in intima animæ tuæ meditandò transmitti: ut cum affectu, & ex calore interno, & toto spiritu, ea populo proloquaris. Nota: Verbum Dei est simile pilulis; quæ foris auratæ, vel sacharatæ, deglutuntur cum suavitate; sed, cum in ventre dissolvuntur, aloë, myrrha, crocus &c. ventrem amarificant. Sic, ait S. Thom. in Apoc. 10., Verbum Dei dulce est rationi, sed amarum sensualitati. Et sicut pilulæ, quæ ventrem non alterant, bonæ non sunt, sed inefficaces; quia noxios humores non expellunt: ita concio, quæ conscientias, suis vitiis affixas, non concutit, bona non est. Cornelius in Ezech. hic.

Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis. Plal. 119. 4. vel *vastatoribus.* Qui sunt isti carbones? Intellegat Charitas vestra primò, quæ sunt sagittæ. Sagittæ potentis acutæ, Verba Dei sunt. Ecce jaciuntur, & transfigunt corda: sed, cum transfixa fuerint corda sagittis Verbi Dei, amor excitatur, non interius comparatur. Novit Dominus sagittam ad amorem: & nemo pulchrius sagittat ad amorem, quam qui verè sagittat. Imò sagittat, ut faciat amantem. Sagittat cor amantis: ut adjuvet amantem sagittæ autem sunt, cum agimus verbis. Carbones vastatores qui sunt? Parum est verbis agere contra linguam subdolum, & labia iniqua; parum est vocibus agere; & exemplò agendum est: exempla sunt carbones vastatores. S. August. hic. Est sagitta sermo Dei vivus, & efficax, & penetrabilior omni gladiò ancipiti. S. Bernardus f. 36.

Labia ejus lilia. Cant. 5. 13. Sicut lilia non nent, neque texunt; sed Pater cœlestis vestit illa: ita sermones Christi per se palcent; licet humani ornamenti nihil habeant. Theodoretus.

Et gladium Spiritus &c. Ephes. 6. 17. Dicitur Verbum Dei gladius: quia separat Spiritum à carnali voluptate. Hugo Card. in Gen. 32.

Et vox illius, tanquam vox aquarum multarum. Apoc. 1. 15. Hæc vox, ait S. Gregor. & Pererius, est prædicatio Evangelii; ita sonora, & potens; ut in omnem terram exierit sonus ejus. Et sicut aquarum: quia instar aquæ restinxit sitim rerum temporalium; & refrigeravit æstum concupiscentiæ. Secundo, quia abluit maculas peccatorum. Tertiò quia fecundat terram cordium humanorum, ut fructus proferant. Cornelius hic.

Testimonia.

Ex Veteri, & Novo.

Anima mea liquefacta est, ut locutus est. Cant. 5. 6. Omnia vis Verbi, & ignita, vehementer inflammat cor commutat renes; in nihil, in conspectu suo, respectu Dei sui, animum redigit; à seipsa liquecere, & deficere, facit; ut jam anima non sit secum. Gilbertus f. 44. Quando? vel ubi locutus est? Nimirum quando, vel ubi, ego pessulum oculi mei Dilecto

aperui: loquendo scilicet, pro utilitate audientium, ea, quæ sunt Dilecti: tunc & ibi Dilectus est locutus. Non enim ego eram, qui loquebar; sed ipse loquebatur in me. S. Rupertus l. 5. in Cant. hic.

Manu erigit mihi aurem, ut audiam quasi Magistrum: Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico. Isa. 50. 4. 5. In tot opprobria, tormenta, ultrò se tradit? quò motivò? quia Verbum Dei audivit. Ignitum eloquium Domini vehementer, pervasit niveam molem, & dissolvit: jam liquefactus ad humiliactiones, cruciatus, sponte defluit necesse est. Gilbertus f. 44. Dominus aperuit mihi aurem. Audistis loquentem Dominum? audite liquefactum affectum discipuli: ego, inquit, non contradico. in Apoc. 2. 9.

Adhuc quadraginta dies &c. Jon. 3. 4. 5. Jonas brevissimâ concione sceleratissimam urbem ad ad poenitentiam revocavit.

Sedebam docens in templo. Matth. 26. 55. Libertas doctrinæ, atque Verborum Dei præfigitur; quod Christus in templo docens non capitur. *Verbum enim Dei non est alligatum;* neque conclusum fuit aliquando funibus tyrannorum. Sim. Cass. l. 13. hic.

Ecce dedi coram te ostium apertum. Apoc. 3. 8. Quid est ostium apertum, nisi Verbum liberum? Sicut namque apertam domum intramus; ita, per verbum liberum prædicatum cor humanum penetramus; & hostem eliminamus; & factorem cordis in ipso habitatorem collocamus. Richardus à S. Viêt.

Ex Patribus, & alijs.

Potens est sermo spiritalis persuadere obtemperantibus fidei; etiam abique Grammatica, & Rhetorica. S. Ephrem Prologò in Patrenses ad Monachos.

Omnis virtus, quæ est in Verbo prædicato, est à Verbo propter nos increato. S. Bonaventura f. 2. de SS. Evangelistis.

Quotidie cernimus; simpliciter sermone, propter Spiritus assistentiam, spirituales viros utiliter hominum corda ferire: alios verò ornatò eloquio in ventum verba proflare; ut non coram DEO gloriatur omnis caro. S. Thom. Vill. f. fer. 4. D. 1. Quadr.

Parum ignitum est, & minus efficax, Verbum, quod non incaluerit, & fulcitum fuerit ab eloquio Dei: quod est ignitum vehenter: & nisi vivificatum fuerit à sermone ejus; qui est *vivus & efficax*, secundum Apostolum. Hebr. 4. 12. Gerson Lect. 1. sup. Marc.

Decora columna alabastrina, perpolitè, sculpta, non eget albedine, aut alijs coloribus: ipsa enim picturæ eam deformarent. Sic gemma non aliam lucem, quam suam, patiuntur: colore aliò deturpantur. Sic sublimis sapientia Evangelii non eget exornari humanâ Rhetoricâ; nec aliò splendore, quam suò. Diez D. Sexages.

§. V.

*Verbum Dei negligentes. Damna neglecti.**Ex Veteri, & Novo.*

Quare negligitis? Gen. 42. 1. Cum famis tempore audisset Jacob, triticum in Aegypto, carere licet, mente turbata filiis ait: *quare negligitis? descendite, & emite nobis necessaria.* Quid dixisset? si gratis dari audisset? Dei Verbum non venditur: *gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis.* 2. Cor. 11. 7. Et tamen incurrit illud negligitis; quia nullam, quæ urgeat, famem habetis? Segneri f. 4. D. 1. Quadr.

Qui declinat aures suas, ne audiat legem; oratio ejus erit execrabilis. Prov. 28. 9. Est hæc poena Talionis: Deus enim par pari refert. Nam sicut ille non vult audire Deum loquentem per legem; sic Deus vicissim non vult eum audire loquentem sibi per orationem. Cornelius hic.

Regina Austri surget in iudicio &c. Luc. 11. 31. Et isti nolunt propter Verbum Dei venire ad Ecclesiam suam. B. Humbertus f. 72. ad Laicos in Civitatibus.

Qui ex Deo est propterea non auditis, quia ex Deo non estis. Joan. 8. 47. De eorum salute parum confidimus: quoniam nec libenter Verbum Dei audiunt; sed cum tadio, & fatigatione. S. Thom. Vill. c. D. Sexag.

Ex Patribus, & aliis.

Nos infensati, quasi negligenda quidem Scriptura sit: nolentes ea discere, quæ nobis inculcant merum; sed ea audire cupientes, quæ nos subvertant, quæ decipiant. Origenes in Ezech.

Verè surdos dixeris, qui cœlestia, & vera, & facienda, non audiunt, Laclantius l. 4. instit. div.

Erit tempus, ut risus suos lugeant, qui dicta nostra nunc rident. S. Ambros. l. 5. in Luc. 6.

Sicut corpori noxium est, corporalem escam non posse percipere; ita animæ periculosum, spirituales delicias fastidire. S. Prosper Aquit. in Pl. 106.

Stulti sunt, qui non audiunt Verbum Dei. Maxime propter duo: Primo, quia ex auditu Verbi Dei vitatur omne malum. Secundo, acquiritur omne bonum. S. Thom. Aqu. Dom. de Pals.

Volentibus audire Verbum Dei, offerendum est; fastidientibus ingerendum: nè fortè contra nos ante tribunal Christi stantes dicant, se à nobis non fuisse admonitos; & animarum illarum sanguis de nostris manibus requiratur. S. Casarius Arel. hom. 22.

Augustinus inquit: sicut nullum est majus signum prædestinationis æternæ, quàm Dei verba libenter audire; sic nullum pejus est signum, quàm illa contemnere. S. Bernardinus serm. 6. Art. 3.

Bononiæ Concionator, cum paucos haberet auditores, significavit, sibi apparuisse proximam *Polyanth. Sacra, Tom. II.*

nocte diabolus; qui mira nuntiasset, de quibus proximam concione dicturus sit. Affluxit igitur urbs tota. Tum Orator: sæpe vobis Verbum Dei exponere conatus sum; cum pauci adfuissetis: nunc verò adfessis frequentes, cum demonis vobis signa nuntianda credidissetis. Ergone demon Deo est vobis gravior &c. Massenius l. 2. argut. Fonte repugnantium §. 3.

Grandis morbus, & execranda calamitas, Divinæ Legis appetentiam non habere. Cassiodorus in Pl. 106.

§. VI.

*Verbum Dei audienti motiva varia.**Exempla.*

Universa terra desiderabat vultum Salomonis, ut audiret sapientiam ejus. 3. Reg. 10. 24. Et ecce plus quam Salomon hic. Matth. 12. 42.

Cum turbæ irruerent in eum, ut audirent Verbum Dei. Luc. 5. 1. Vehementi desiderio movebantur turbæ; ideo irruerant; considerantes magis Domini bonitatem, quàm majestatem. Bonaventura. Desiderium Verbi DEI merito magni apud DEUM est; quod ipsam quoque irreverentiam turbæ irruentis in eum excuset. Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 1. Sect. 5. Obs. 1. Non tam audire Magistrum, quàm in ipsum irreverenter irruere, videbantur: ita ut quasi compressus Dominus in naviculam secedere cogereetur. Nec tamen subtrahit Verbum. Quid ita? Galfridus: magni meriti est apud Deum, desiderium Verbi DEI; quod ipsam quoque irreverentiam turbæ irruentis excuset: non enim ab eis consideratur majestas, dum desideratur utilitas. Sed nec ab ipso quidem attenditur, ad quem irruant; sed ad quid. Ramirez in Apoc. 2. 10.

Capit egere. Luc. 15. 14. Potest intelligi; quod non fame panis, nec siti aquæ; sed fame, & siti, Verbi divini, sese perhibeat laborare. S. Bernardus f. 8. de divers.

Hora autem erat quasi decima. Joan. 1. 39. Horam significat Evangelista: & in his inveniens discipulatus desiderium; & in illo humanitatem: quod neq; propter tempus averit sunt, cum jam sol ad occasum declinaret. -- Oportet igitur & nos ob nullum tergiversari tempus ab audiendis his, quæ divina sunt; sed omnia his posteriora ducere. Euthymius apud Sylveira hic.

Susceperunt Verbum cum omni aviditate. Act. 17. 11.

Simulatq; surrexeritis, curiosè perquiritis: ubi nam futura sit exhortatio? ubi salubris admonitio: ubi doctrina? ubi sermo ad sermonem Christi conducens? S. Chrysost. or. 2. Adv. Judæos.

Sanè ego videns inexplibilem vestram spiritualium doctrinarum aviditatem, etiam satis confici meæ magnæ tenuitatis; non intermitto quotidie apparere ex divinis Scripturis convivium. S. Chrysost. hom. 28. in Gen.

S. Patritius, Hiberniæ Apostolus, prædicabat populo undique confluenti tribus diebus continuis, & noctibus; omnesque præsentès existimabant non plus effluxisse temporis, quàm unius tantum diei spatium. Bollandus 17. Martii c. 10. Ooo oo 2 §. VII.

§. VII.

*Verbi divini audiendi alia motiva.
Ex Veteri, & Novo.*

Quia audisti. Gen. 3. 17. Sicut initium damnationis nostræ fuit, audiendo diabolus; ita initium salutis nostræ provenit audiendo Deum in Ministris suis. Broymard Verbum Dei.

Permitte me primum ire, & sepelire patrem meum. JESUS autem ait illi: *sequere; & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Matth. 8. 21. Cur tam pium opus prohibet Dominus? S. Chrysost. hom. 41. in Matth. nam si ad sepeliendum patrem, nè consequentia disciplinæ inciderentur, non permisit abire; quanto minus prædicationem absolvi propter aliqua privata. q. d. hic homo frequens erat auditor Christi: ergo, nè concionum solum abrumperet, à parentis funere avulsus est: sic enim auditionem Verbi Dei pietati erga parentem prætulit. Pinna Ethol. 9.

Factum est Verbum Domini. Luc. 3. 2. Quot reges, & principes, designat hic Evangelista; ut dicat, à Christo missum Joannem prædicare? Cum Christi nativitatem scripsit, tantum Romani Cæsaris meminit: Joannis nativitatem narrat, nullius principis factâ mentione. Cum verò prædicationis officium recenset; non tantum Cæsaris, sed & Sacerdotum, & minorum principum, recordatur: ut scilicet innueret; quanti esset momenti, alicujus sancti Prophetæ, aut prædicatoris, creatio. Stella hic.

Qui ex Deo est, verba Dei audit. Joan. 8. 47. Titelmannus: id est, prædestinatus, & electus; quiq; Deum ex affectu amat, & colit. Janfenius: *qui ex Deo est*, hoc est, Dei Spiritu præditus. Similiter Toletus. Euthymius: *qui ex Deo est*, juxta modum familiaritatis, hoc est, qui amicus est Dei, verba Dei audit: qui diligit regem, diligit ejus legem. Barradius t. 3. l. 1. c. 20. Dom. Pais. Quisque delectatur relatione stirpis suæ, & gestorum, quibus majores claruerunt: de stemmate alieno non attendit. Itâ, qui sunt ex Domo, & progenie, Dei, Dei Verbum audiunt; qui non sunt ex Deo, fastidiunt. Stella de contempte &c. p. 3. c. 48.

Ex Patribus, & aliis.

Qui Verbum Dei libenter audit in aures animæ de patria paradisi transmissas se suscepisse non dubitet. S. August. l. 50. homiliar. hom. 26.

S. Basilii Seleuc. Orat. 30. Christianam doctrinam vocat novam, & de cælo allatam, politiam.

Sicut esurire, corporalis sanitatis indicium itâ & studiò magnò audire divina eloquia, bonæ animi valetudinis certissimum est argumentum. S. Chrysost. hom. 4. in Gen.

Cum affectui, & spiritali palatui, sapiunt cælestia, & divina; atque desipiunt carnalia, & terrena; lætatur de spiritalibus, ac de carnalibus contristatur: signum evidens est, quòd in tali anima inhabitat spiritus Sanctus. S. Bernardinus f. in fer. 6. Pent.

Date quartam partem horæ Verbo Dei, &

honori Sanctorum, & salutis vestræ: qui non unam horam, non duas, sed dies integros, sed hebdomadas, fabulis sæpe datis. Gerson. f. de OO. SS.

§. VIII.

Verbum Dei attentè audiendum.

Ubi est Deus, qui fecit me; qui dedit carmina in nocte. Job. 35. 10. S. Gregorio, dare carmina in nocte, est, per Prædicatores inter medias tenebras eorum submitti lucem sacræ doctrinæ. Nota: prædicationem carmen in nocte vocari. Prædicatoribus enim evenit, quòd Symphonicis illis; qui nocte serenâ, sed frigidâ, musicam adorant. Fit, ut dulci concentu quendam excitent, & permoveant; ut relicta tantisper lecti quiete, ad fenestram accedat, & Symphoniam avidè audiat. Sed cum paululum auscultavit, stratum repetit. Idem dic de concionibus. Did. Niss. D. 4. Adv. §. 5.

Qui habet aures audiendi, audiat. Luc. 8. 8. Multi aures habent, sed non ad audiendum: id videlicet, qui auditionem divino verbo minime præstant: quid; perinde verbum audiunt, ac si non audirent. Audire namq; Verbum, est attentè, utiliter, obedienterq; audire Theophylact.

Domine, non est tibi cura, quòd seror mea reliquit me solum ministrare? Luc. 10. 40. Quarit S. Augustinus f. 26. de V. D. cur Magdalena accusata à sorore Martha, desidia, & inurbanitatis; omnino tacuerit? nec se defenderit? Respondet: Maria neq; in respondendo voluit laborare: si enim pararet respondendi sermonem, remitteret audiendi intentionem.

Quanta temeritatis, imò quantæ infantiæ est: si fortè dum alloquitur nos Dominus majestatis; nos insensati avertamus aurem, & ad, nescio quas, ineptias convertamur. Quanta est hæc injuria, & quam graviter vindicanda! cum vilissimus vermis clamantem ad se audire designatur Creatorem universitatis. S. Bernardus f. de 7. spirit.

§. IX.

Verbo Dei demon insensus.

Tulerunt universa, quæ ad cibum pertinent. Gen. 14. 11. Demones libenter tollunt, quæ ad cibum animarum pertinent; id est, verba prædicationis, & doctrinæ. *Omnis, qui audit verbum regni &c.* Matth. 13. 19. Hoc est, quòd legitur Judith 7. 6. quòd Holofernes prædidi fecit aqueductum, nè influeret civitati, id est, prædicationem. Et hoc fit ex magna ira Dei; quando permittit, ut diabolus Prædicatores exterminet; tamen diabolus semper suos prædicatores relinquit, qui Sacram Scripturam vel depravant, vel emolliunt, vel evacuant. Hugo Card. hic.

Ventus aquilo dissipat pluvias. Prov. 25. 23. id est, doctrinas Prædicatorum. S. Thom. Aqu. Lect. 5. in 1. Rom.

Adhuc eo loquente dixit quidam: ecce mater tua &c. Matth. 12. 47. Non intrat Mater, sed foris perstat, donec Magister loquitur: ne attentorum ad Christi verba turbaret quietem, ait Abulensis hic q. 105. Longè aliter improbus ille, qui Magistrum pie, ac ritè, docentem urget: *ecce Mater tua.* S. Chrysost. hom. 30. in Matth.

Matth. videns diabolus, quod persuadebat populus Christus, esse se Dei Filium; timuit, ne ipse derelingeretur ab omnibus: ideoque venit aliquis, tanquam diaboli advocatus, qui humano ore verba diabolica loqueretur. Velloso in Judith. 7. Paron.

Dæmon tabellarium mentitus, avocare à concione S. Antonii de Padua voluit nobilem feminam, nuntiò de filij ejus obitu allatò. Sed Sanctus eam palam allocutus ait: nè timeas domina; filius tuus vivit, & recte valet: cursor autem iste diabolus est. Ad quæ Sancti verba dæmon ut fumus evanuit. Nadasi 3. mense div. am. c. 3.

§. X.

Verba Dei in corde conservata, rumina.

Figura, Symbola.

Pharaois pictor, Gen. 40. 17. 18. *tria canistras farine super caput habere somniavit; & in uno, quod erat excelsum, portare omnes cibos, avesque comedere ex eo.* Joseph verò ex hoc somnio suspensum illi divinitus prædixit. Si ximum Verbi Dei triticum, sive farinam; & divinas, quæ ex ea fiunt, escas, supra caput, & in capite solum, gestas; nec animi dentibus, id est, cogitatione, teris, & manducas, sed volucris diripiendas exponis; suspensum time tartareum. Contrà, si botros cum pincerna in calicem exprimas, Verbum Dei expendas, & in opera convertas. Barradius t. 2. l. 10. c. 1. D. Sexag.

Congregatæ sunt in horrea. Gen. 41. 47. Horrea sunt corda hominum, in quibus segetes congregantur: quando sacra Scriptura verbò, & exemplo peccatoribus prædicatur. Hugo Card. hic.

Manna! Ex. 16. 15. Manna interpretatur, *quid est hoc?* Cum enim audimus, Legem Dei recitari in Ecclesia; interrogemus Doctores, dicentes, *quid est hoc?* Hoc autem manna minutum erat, sicut semen coriandri, & suave. Quid Verbo Dei minutius? quidve subtilius? aut quid dulcius, & suavius, eloquiis Dei, quæ sunt dulcia super mel &c. S. Ildorus c. 14. in Exod. In nostro Dominico die semper DEUS pluit manna de cælo: per totum enim novi testamenti tempus divina eloquia nobis manifestantur. Manna interpretatur, *quid est hoc?* Cum audimus Legem DEI recitari; dicimus Magistris; quid est hoc? V. Beda hic. Manna, quod edebatur in eremo, figuram habebat Verbi: dicebatur manna, quod interpretatur, *quid est hoc?* ut, quotiescunq; audivimus Verbum, admoneat nos, ipsum nomen requirere; quid est hoc, quod audivimus? Mendoza in 1. Reg. 2.

Guttur tuum sicut vinum optimum. Cant. 7. 9. Verbum Dei debet servari sicut vinum in cellario: dicitur vinum, quia inebriat. Hæc vinò erant inebriati Apostoli; quando ad unum verbum denudabant se, & relinquebant omnia. Hugo Card. in Joan. 14.

Maria conservabat omnia verba hæc cōferens in corde suo. Luc. 2. 19. Verbum Dei debet servari sicut liquor pretiosissimus in vase; nè effundatur per oblivionem, vel neglectum.

Comparabitur viro consideranti vultum nativitatis sue in speculo. Jacobi 1. 23.

Vir obiter speculum considerat; non diu in eo intuenso moratur: contrà femina attendit, & diu, speculum aspicit; ut se comat, & ornet. Obliviosus Auditor ut vir concionis inspicit speculum: attentus, qui Verbum Dei expendit, instar feminae moram facit, in speculo hæret contemplans. Barradius t. 2. l. 10. c. 2.

Quomodo columbae, vel turtures, postquam genuerint ova; si illa permiserint refrigerari; perdant fructum illorum: ita & vos, si conceptum Verbum Dei per oblivionem refrigerari permittitis, desiderabilem fructum habere non potestis. S. August. l. 218. de temp.

Sic serva sermonem Dei, quomodo melius servare potes cibum corporis tui. Nam & ille panis vivus est, & cibus mentis. Panis terrenus, dum in arca est, potest à fure tolli, potest à mure corrodii, potest vetustate corrumpi: ubi verò comederis illum, quid horum timeas? Hæc modò custodi Verbum Dei: *Beati enim, qui custodiunt illud.* Ergo trahatur in viscera quædam animæ tuæ, transeat in affectiones tuas, & in mores tuos. S. Bernardus l. 7. de Adv. D.

Apis hic unum florem, ibi alium carpit; postea verò in alveare se recipit, & ibi mellificat: nam, si tantum tempus in colligendis floribus consumeret, & nunquam mellificaret; inanis esset ejus labor. Sic, licet plurimos flores in concionibus carpamus; si tamen divinas sententias, intellectu perceptas, non meditamus; parum proderit. Diez D. 11. Pent. conc. 2.

Nisi stomachus cibum retineat, coquat, & digerat, inq; reliquias corporis partes disperiat; nihil cibus proficiet. Sicut bonus stomachus cibum coquit, ut in carnem, & sanguinem, vertatur: sic bonum cor divinum Verbum concoquit; ut convertatur in sancta opera. Barradius ante citatus.

Testimonia.

Ex Veteri, & Novo.

Os prudentis quaritur in Ecclesia, & verba illius cogitantur. (auditores) in cordibus suis, Eccl. 21. 20. Ostendit, quales esse oporteat in Ecclesia, & conventu populi Doctores, & Auditores; qui dicta non sinunt elabi animò &c. Cornelius hic.

Secus viam. Matth. 13. 4. Semen cadit Verbi Dei, quando cor Auditoris pravis cogitationibus auditam prædicationem conculcat. V. Beda hic.

Et posuerunt omnes, qui audierant, in corde suo. Luc. 1. 66. Quid posuerunt in corde suo? ea, quæ audierant. Quare? ut considerarent; ut memoriter tenerent. Ea, quæ de divinis thesauris audivimus; omnino sunt in corde ponenda. Etenim cor nostrum sic creatum est; ut sit in terra quoddam armarium, atque repositorium divinarum. Ponenda sunt in corde sancta mysteria, verbaque divina; ut credamus, & diligamus; ut in illis sedulo meditemur; & ex eis fiat directio gressuum nostrorum, Sim. Cass. l. 3. hic.

Aliud cecidit secus viam. Luc. 8. 5. Illi secus viam sunt, qui Verbum Dei non custodiunt mente, non meditantur. Barradius ante citatus.

00003

Aliud

Aliud cecidit in terram bonam. Luc. 8. 8. *Quod autem in terram bonam: ij. sunt, qui in corde bono, & optimo, Verbum retinent; id est, qui meditantur, conservant.* Idem ibid.

Ex Patribus, & aliis.

Quantâ sollicitudine observamus, quando nobis Corpus Christi ministratur, ut nihil ex ipso de nostris manibus in terram cadat; tantâ sollicitudine observemus, nè Verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliquid aut cogitamus, aut loquimur, de corde nostro pereat. Quia non minus reus erit, qui Verbum Dei negligenter audierit; quàm ille, qui Corpus Christi in terram cadere negligentia suâ permiserit. S. August. lib. 50. hom. 26.

Admonemus charitatem vestram; ut ea, quæ audiendo, tanquam ventre, memoriâ conditis; rursus revolvendo, & cogitando, quodammodo ruminetis. S. August. in Ps. 141.

Si diabolus fugas per literas suspensas in collo, multo magis fugabis per literas retentas in corde. S. Chrysost. hom. 1. in Joan.

§. XI.

Verbum Dei audi, & fac.

Figura, Symbola.

*T*ulit vir in aures aureas - & armillas totidem. Gen. 24. 22. Cur cum in aures non obtulit alia dona? Rebecca animam fidelem significat; in aures auditionem Verbi, armillas operationem. S. Ambros. l. 1. de Abraham. c. 9. in aures Rebecca pii auditus insignia, & viriæ Rebecca ornata factorum, sunt. Sylveira in Joan. 8. 47.

Susanna pulchra specie. Dan. 13. 31. Non corporalibus erat ornata monilibus &c. pro inauribus habebat verba divina; pro annulo fidem decoram; pro margaritis opera pretiosa; quibus quotidie speciem mentis suæ, & animam, decoravit. V. Beda hom. in Lect. Sabb. D. 3. Quadr.

Ne postquam posuerit fundamentum. &c. Luc. 14. 29. Per fundamentum intelligas Doctoris sermonem. Opus est autem sermoni huic, hoc est, fundamento, superedificatione, opere dico. Theophylactus hic.

Assumite gladium spiritus, quod est Verbum Dei. Eph. 6. 17. Gladius manibus arripendus; sic Verbum Dei.

Motiva.

Ex Veteri.

Cum loqueretur Angelus - elevarunt ipsi vocem suam, & fleverunt, immolaveruntque ibi hostias Domino. Judic. 2. 4. Sunt nonnulli, qui libenter Verba Dei audiunt, ita ut etiam in fletibus compungantur: sed post lacrymarum tempus ad iniquitatem redeunt. S. Gregor. in Joan. 8. Filij Israel fleverunt, & mox rectis operibus studium impenderunt. Escobar t. 2. Pers. Chr. l. 10. Sect. 9.

Abstulerunt ergo Filij Israel Baalim, & Astaroth. 1. Reg. 7. 4. Ad Samuelis concionem omnes Israelitæ, non solum aures audien-

di, sed etiam manus operandi, attulerunt. Mendoza hic.

Non cecidit nè unus quidem sermo ex omnibus bonis, quæ locutus est per Moysen servum suum. 3. Reg. 8. 56.

Videte ergo nunc, quoniam non cecidit de sermonibus Domini in terram. 4. Reg. 10. 10. Et de Samuele 1. Reg. 3. 19. *Non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram.* Id est, sermo ejus propheticus non fuit irritus. Sic exponunt. Dionys. Carth. Lyrani. Cajetanus &c.

Bonitatem, & disciplinam, & scientiam, doce me. Ps. 118. 66. Cum alia sunt, quæ ideo discimus, ut tantummodò sciamus; hic verò, ut etiam faciamus: quando Deus ea docet, sic docet, ut ea scienda faciamus: aperiendo veritatem sic docet, ut facienda faciamus imprimendo suavitatem. Non enim frustra ei dicitur: *doce me facere voluntatem tuam.* Ps. 142. 10. Sic, inquit, doceme, ut faciam; non tantummodò, ut sciam. S. August. hic apud Pinna Ethol. 9.

Ignis, grando, nix, glacies. Psal. 148. 8. Nè talia sine providentiâ divinâ fieri, moverique, putarentur; continuè subjecit: *quæ faciunt Verbum ejus.* S. August. de Gen. ad lit. l. 3. c. 10.

Factum est Verbum Domini in manu Aggai. Agg. 1. 1. *Onus Verbi Domini in manu Malachie 1. 1. quæ locutus est in manu servi sui Elie.* 4. Reg. 10. 10. Pensa vocem Dei exceptam manu propheticâ, non aure. S. Hieron. in Malach. manum pro operibus accipe: unde in manu Aggai, & in manu Jeremie, factus est sermo Domini. Velloso in Judith 5. Parat. 18.

Ex Novo, & Patribus.

Quia appropinquavit regnum celorum. Matth. 10. 7. Hic est omnis prædicationis fructus; ut homines intelligant, credant, sperent, & ament, ea, quæ sunt regni celorum. Cajetanus hic.

Incipiens à Galilæa. Luc. 23. 5. Ascendendo docet: nam doctrina Christi facit hominem in superna conscendere. Sim. Cass. l. 13. hic.

Non sit mora in faciendo, quod intus sapit intelligendo. S. August. s. 112. de temp.

Mater Christi efficitur homo, audiendo Verbum Dei: quia, sicut Mater concepit illum in utero, ita homo sermonibus concepit Christum in utero conscientie; quando proponit facere ejus voluntatem. Parit autem Christum, quando conceptum propositum efficitur. S. Vinc. Ferr. s. 1. fer. 4. D. 1. Quadr.

§. XII.

Verbum Dei non facientium malitia, damna.

Ex Veteri.

Scriptit David epistolam ad Joab, misitque per manum Uriæ. 2. Reg. 11. 14. Dum Urias à Davide literas ferret ad Joab principem militiæ, cogitare potuit; forsitan mandat ei Rex, ut me promoveat &c. sed monebatur Joab, ut ejus necem machinaretur. O peccator! conaciones, quas audis sine fructu, literæ sunt, quas contra

contra te defers. Idcirco vanum est dicere, Con-
ciones, & Missas, audivi; hoc mihi in iudicio
Dei patrocinabitur. Falleris, aperiet Deus illic e-
pistolam tuam: videamus, dicit, quid hæc literæ
contineant. *Beati misericordes &c. Dimitti-
te, & dimittetur vobis &c.* atqui tu immi-
sericors fuisti &c. Diez D. Sexag.

*Scatere capit vermis, atque compu-
truit.* Ex. 16. 20. In nobis fiunt vermes de man-
na, hoc est de Verbo: sic enim dixit: *si non ve-
nissem, & locutus fuisset eis, peccatum non
haberent.* Joan. 15. 22. Post susceptum enim
Verbum Dei, si quis peccet; efficitur ipsum
illi vermis, qui illius conscientiam fodiat. V.
Beda hic. Qui post susceptum Verbum Dei pec-
cat, efficitur ei ipsum Verbum Dei vermis; qui
eius semper conscientiam fodiat, & arcana pe-
ccatoris rodit. S. Isidorus hic c. 22.

Ipse illusores deludet. Prov. 3. 34. Illusor
est, qui audit Verbum Domini, & non facit.
Hugo Card. hic.

*Apparuerunt digiti, quasi manus homi-
nis scribentis, in superficie parietis.* Dan. 5.
5. Si verba ut summo parieti, ita cordi quoque
inscripta fuissent, regem ad poenitentiam mo-
visissent. Quare manus Sacerdotis tam parum
operatur per eam sententiam, quam frontibus
nostris inscribit, *memento homo &c.* nisi quia
apparent digiti manus scribentis in parietis su-
perficie; neque in cor descendunt, aut animam
penetrant. Did. N. f. l. 1. die Cin. §. 3.

Ex Novo.

Stetit in loco campestri. Luc. 6. 17. Voluit
Dominus loca, in quibus populum docebat, de-
signari: ut ii, postea rebelles facti, dicerent, se
non admonitos; loca ipsa, si opus esset, in testes
vocarentur. Sic enim homines lapidum acer-
vos, & statuas, in testes foederis, vocant; ut le-
gimus Gen. 31. 46. de Jacob, & Laban. Deut.
1. 1. *hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses
ad omnem Israel trans Jordanem, in solitu-
dine campestri;* & in fine sermonis: *testes in-
voco hodie cælum, & terram &c. En lapis
iste erit vobis in testimonium.* Jos. 24. 27.
Stella hic.

Clamabat. Luc. 8. 8. Illò clamore acerbum
animi dolorem testatus fuit. Quid doluit? Ver-
bi sui divini jacturam, cujus tres partes de qua-
tuor pereunt. Sicut, si æger medicinam pro-
priis sumptibus, longò studio, paratam effun-
dat. Ægre Christo erat, dum in hac parabola
cogitabat; suos Prædicatores laborum suorum
tam exiguos fructus reportaturos. Did. N. f.
fer. 2. D. Resurr. §. 5.

*Revelatur ira Dei de cælo super omnem
impietatem.* Rom. 1. 18. qui veritatem Dei
in injustitia detinent. Is veritatem in injusti-
tia detinet, qui velut in carcere veritatem cap-
tivam cohibet; & per pravam voluntatem ad
opus prodire non sinit. *Veritas ait Christus, libe-
rabit vos.* Joan. 8. 32. Captivus captivum libe-
rare nequit: libera veritas nos liberabit; si ex in-
tellectu in voluntatem, in oculos, manus, pro-
derit. Barradius t. 3. l. 1. c. 22.

Ex Patribus & aliis.

Non hac sola de causâ tam studiosi in dicen-

cendo sumus, ut aures vestras oblectemus; vel
quòd laudari à vobis capiamus: nisi lucrum sit
vobis ex sermonibus nostris; satius fuerit post-
hac silere. Nollem enim vobis majoris damna-
tionis causâ fieri. S. Chrysost. tom. 1. hom. 6.
in Gen.

Verba mea sunt quasi flos arboris bonæ. Et
quamvis omnes flores de una radice arboris
prodeunt; non tamen omnes flores veni-
unt ad effectum fructus. Sic verba mea sunt qua-
si quidam flores, de radice charitatis divinæ pro-
deuntes: quæ quidem multi suscipiunt; non
tamen in omnibus faciunt fructum; nec in
omnibus maturescunt: quia quidam suscipiunt
ea, & retinent ad tempus; & sic postea rejici-
unt: quia spiritui meo ingrati sunt. Revel. S.
Brigittæ l. 2. c. 24. V. C.

S. Antoninus narrat: eximium quendam con-
cionatorem, cum in quadam solenni festivity
te concionem habiturus esset, in morbum in-
cidisse. Cumque magnus populus concionis
causâ confluxisset, Prælati illius monasterii
tristabatur, quòd deforet, qui vices ageret. Et
ecce pulsat fores dæmon Monachi habitus; qui
ait, se concionatorem, & concionem facere pro-
mittit. Suggestum ascendens de gloria cælesti,
de Inferni tormentis; de gravibus, quæ in Mun-
do sunt, sceleribus, ferventissime prædicavit,
tantâ efficacîâ; ut omnes auditores plorarent.
Divinâ revelatione Religiosus probus illius mo-
nasterii cognovit Concionatorem; eumque
post concionem nomine Dei adjuravit; ut, quæ
causâ ipsum ad concionandum adduxisset, edi-
ceret. Cui dæmon: novî genium Auditorum,
quòd ex hac concione nullum fructum repor-
tabunt: conceperunt quidem bona desideria;
sed mox evanescent: & ita, quæ audierunt, in
majorem ipsis damnationem vertentur. Diez
D. 4. Pent. conc. 2.

§. XIII.

Verbum Dei à quo vis libenter audi.

Figura, Symbola.

[*Isaac amabat Esau, eò quòd de venationi-
bus illius vesceretur.* Gen. 25. 28. Esau erat
homo agrestis, & efferratus, & indole ad ma-
lum propensâ: Isaac nihilominus amabat
Esau &c. Modò læsit bonum, & salubre: ni-
hil ad rem facit, quòd nutrix sit deformis. Sic
lux clara, & candelabrum qualecunque. Did.
N. f. Pol. Col. p. 1. c. 4.

*Et ecce examen apum in ore leonis erat,
ac favus mellis.* Judic. 14. 8. Cur Samson in
ore foetido leonis mel dulce invenit? Plinius
l. 8. c. 16. fertur, quemvis leonem vivum os
habere foetidissimum. Per favum mellis Sacra
Dei doctrina denotatur. *Quam dulcia sau-
cibus meis eloquia tua super meliori meo*
Psal. 118. 103. Sic sæpe ex ore foetido peccato-
ris dulcedo sacræ doctrinæ percipitur. Syl-
veira in Matth. 23. 1. Samson de ore mortui
leonis favum mellis eduxit; & ex arentè man-
dibula asini aquis se profluentibus satiavit.
Judic. 15. 15. Sed nec aselli in aqua desidiam,
nec belluinam gustavit in melle ferociam. U-
trobiq; nimirum, quod sumptum est, juxta
pro-

Proprietatem suam in ore sapuit: unde sumptum fuerit, non magnopere discrevit. S. Petrus Dam. tom. 3. c. 21.

Corvi quod deserebant ei panem, & carnes. 3. Reg. 17. 6. Sic Deus saepe per rostra immunda Concionatorum animabus servorum suorum mundam, sanctamque, doctrinam mittit. Et potius suffert Deus, se immundorum hominum linguis versari, quam nobis spirituales cibum deesse. Diez D. Sexag. Quomodo Elias à corvo nutriebatur? corvus enim in Lege impurum animal habetur. Quomodo ergo ab impuro corde nutriebatur Propheeta? S. Chrysost. hom. de Petro, & Elia. Sed quid deserebant? panem & carnes. Elias ergo sic diserebat: si panis est bonus, & caro pinguis; quid refert? quod allata sit ministerio avis. Did. Nils. Pol. Coel. p. 1. c. 4.

Dulciora super mel, & savum. Pl. 18. 11. Quia vel ex mortui cadaveris, peccatoris, ore haurienda. Et sicut ab apibus nullus flosculus, etsi humilis, contemnitur; quin ab illo liquorem suum emendicent, & hauriant. S. Paulinus ep. 4. ubique captemus cibum vitae; ubique aucupemur Verbum Dei; de omnium Fidelium ore pendeamus: quia in omnem Fidelem Spiritus Dei spirat: & necesse est, à minimo Dei servo vel guttam coelestis sapientiae distilla. c. Baeza t. 2. l. 6. c. 3. §. 46.

Sapientia misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem. Prov. 9. 3. Sape Dei vocatio non à cathedris; non à doctis, & eloquentibus; sed vel ab ore ancillulae datur. Sponsa Cant. 3. 3. prudens virgo à militibus illiteratis quaerit de Dilecto. Idem ibidem.

Semen est Verbum Dei. Luc. 8. 11. Exposuit, quid sit semen, quid via, quid petra, quid spina, quid bona terra? tamen, quis esset seminator, non exposuit Haymo. Docet, in verba praedicationis, in monita sacra, nostram ferri praecipue debere attentionem; non in Ecclesiasten, quia nobis loquitur. Did. Nils. Pol. Coel. p. 1. l. 1. c. 4.

Motiva, & Exempla.

Ex Veteri, & Novo.

Omnia, qua locuta es, vera sunt. Judith. 8. 28. Pendet Ozias, & Principes Sacerdotum, ab ore Judith. *Turbata est in sermone ejus.* Luc. 1. 29. Turbata est, non in vultu, sed in sermone ejus. Eusebius. Non expende, an Angelus sit, qui docet; sed an doctrina, quam tradit, sit angelica? Did. Nils. Pol. Coel. p. 1. l. 1. cap. 4.

Maria autem conservabat omnia verba haec &c. Luc. 2. 19. Si Maria à pastoribus discit, cur tu declinas discere à Sacerdotibus? S. Ambros. hic. Magna prudentia est, non solum à doctis, & magnis; sed etiam à minimis, doceri velle. Sylveira hic q. 4.

Audientem illos, & interrogantem eos. Luc. 2. 46. Interrogat Christus: ut suo exemplo doceat; nobis non esse erubescendum, dum à minoribus interrogamus, Sylveira hic q. 46.

Ego vox. Joan. 1. 23. Omnibus speciosis ti-

tulis praetermissis, Joannes tantum de se ait: *ego vox*: ita ut neque Sacerdotalis dignitas, nec prophetalis autoritas, nec Angelica sanctitas, in eo attendenda esset; sed hoc unum, quod sit Dei vox; seu, quod Dei voce loquatur: nec enim in Doctore consideranda est persona; sed quod vices Dei gerat. Sylveira hic.

Ex civitate illa multi crediderunt, propter verbum mulieris. Joan. 4. 39. Sermo, qui ad salutem conducit, à quocunque dicatur, accipiendus est. Non parum commendatur Samaritanorum prudentia, & salutis aviditas; quod vel ex ore mulieris non spernebant verbum salutis; sed illi fidem darent de eloquiis divinis. Baeza t. 2. l. 6. c. 3. §. 46.

Historica.

S. Ephrem, in itinere, dum Edessam pergeret; oravit Dominum, obvium in ingressu habere hominem, qui secum à Scriptura sermonem exordiat. Ingressi occurrit meretrix: visà indoluit, preces suas inanes: quod pactò enim haec de Scriptura mecum disserat? substitit autem illa eum intuens. Ad quam ille: quid subsistis, intentis in me oculis? & illa: intueor te; quia ego mulier ex te viro sumpta sum: tu autem nē me intuearis; sed terram, ex qua tu vir sumptus es. Laudavit Deum pro sapienti doctrina. Bollandus 1. Febr.

Quādam die occurrit S. Brigida V. Scotae quidam insanus, de loco in locum currens, plenus furore; multosque obvios affligebat; dixitque S. Brigida ad eum: praedica mihi Verbum D. JESU Christi. Insanus dixit: o Brigida Virgo! tua jussa implebo: ama Deum, & amabunt te omnes: honora Deum, & honorabunt te omnes: time Deum, & timebunt te omnes. Cum hoc dixisset, cum clamore fugit. Bollandus 1. Febr.

B. Egidius tertius socius S. Francisci Seraph, quamquam, teste S. Bonaventura c. 3. Legendae, esset idiota, & simplex; tamen ad excelsae contemplationis sublimatus est verticem. Gregorio IX. summo Pontifici, petenti documentum tale dedit: debetis habere duos oculos, dextrum, & sinistrum; dextrum ad contemplandum superiora; sinistrum ad dispensandum inferiora. Bollandus 23. April.

S. Gregorius in quadam epistola: ab omnibus corripit, ab omnibus emendari, paratus sum: & solum mihi amicum aestimo, per cuius linguam, ante appetitionem districti Judicis, meae maculas mentis tergo. Et S. Augustinus dicebat: ego & senex, & Episcopus, paratus sum à pueris doceri. Diez in dedic. S. Michaelis conc. 3.

§. XIV.

Verbi Dei dispositio, capacitas.

Ex Veteri, & Novo.

Potens in terra erit semen ejus. Pl. 11. 1. 2. Non in petrosis, non secus viam, non inter spinas; sed inter bona, *potens erit semen ejus.* S. Ambros. hic.

Ad

Ad annuntiandum mansuetis. Ilia. 61. 1. *Esto mansuetus ad audiendum Verbum Dei; ut intelligas.* Eccl. 5. 13.

Docebit mites vias suas. Pl. 24. 9. *Ut mederer contritis corde.* Ilia. 61. 1. *Abcondisti hæc sapientibus &c.* Matth. 11. 25.

Quod in aure auditis, super tecta. Matth. 10. 27. Christus D. hortatus est Discipulos suos publicâ concione: neque in aurem singulis doctrinam suam instillabat; sed omnes in communi ad virtutem hortabatur. Cur ergo ad Discipulos publicas conciones, in aure audita, vocat Dominus? Ut doceat; licet omnia in communi dicantur, singuli tamen arripiant: & quisq; pro se solo dicta, velut ad nullum alium pertinerent, verba excipiat, meditetur, exequatur. Cum coram pluribus uni secretum dicere volumus, in aurem submissâ voce loquimur. Sic Auditor in aurem sibi dictum putet, quidquid in concione auditur; & ad se unum pertinere. Pinna Ethol. 9.

Pauperes evangelizantur. Matth. 11. 5. Hi enim melius dispositi sunt, ut illuminentur, & convertantur: divitiis enim, & nobilitati, superbia est annexa: tumor autem mentis, obstaculum est veritatis. Divitum etiam corda plena sunt sollicitudine sæculi, quæ suffocat Verbum Dei. Denique divites, quia pleni sunt donis, & solatiis, sæculi; parvipendunt dona, & consolationes, cœli. Marchantius D. 2. Adv.

Exiit qui, seminat. Matth. 13. 3. Doctrina Evangelica comparatur semini, & ex eo prodeunt melli: quia sicut ad messem corporalem opus est semine, terrâ, sole, pluviiis, ventis: sic similibus opus est ad messem Evangelicam, & spiritualement. Semen est Verbum Dei, ejusq; prædicatio; terra est liberum audientis arbitrium; sol est gratia præveniens, illuminans, & inflammans, liberum arbitrium; ut Verbum Dei excipiat, indeque fructus virtutum producat: Pluvia est gratia rigans, conservans, & promovens, hos bonos actus & motus. Veniunt tentationes; qui illos agitando magis radicanant, & roborant. Cornelius hic.

Talium est regnum Dei. Marci 10. 14. Regnum Dei, id est, doctrinam Evangelii, sicut parvuli accipere jubemur. Quia quomodo parvulus in discendo non contradicit Doctoribus; neque rationes, & verba, componit, adversum eos resistens; sed fideliter suscipit, quod docetur; & cum metu obtemperat, & quiescit: ita & nos in obediendo simpliciter, & sine ullâ retractatione, verba Domini facere jubemur. V. Beda hic.

Quod autem in bonam terram. Luc. 8. 15. Ista bonitas terræ nihil aliud est; quam bona præparatio nostri cordis. S. Bonaventura f. 1. D. Sexag.

Sermo meus non capit in vobis. Joan. 8. 37. quia non capitur: sermo enim Dei est ut hamus; qui capit, dum capitur. Hugo Card. hic. Verbum Dei hamo simile est: quia, nisi capiatur, non capitur. S. Bernardinus tom. 2. f. 9. Si sermo meus caperetur, caperet; si caperemini, intrâ retia fidei tanquam pisces concluderemini. Quid est ergo, non capit in vobis? non

Polyantha Sacra. Tom. II.

capit cor vestrum, quia non recipitur à corde vestro. Sic enim est sermo Dei, & sic esse debet, tanquam pisces hamus. S. August. tr. 42. in Joan.

Ex Patribus & aliis.

Ad cor nunquam sine amore cordis, pervenit Verbum Domini. Rupertus de Viêt. Verbi l. 5. c. 25. Felix, in quo amoris Mundani desiccatus est humor, & vigor deficit; in eo facile igniti verbi vis operatur. Gilbertus f. 24. in Cant.

Vitrum, crystallum, aquas limpidas, gemmas, radii lucis pervadunt, & illustrant. Si in corpus opacum, in saxum, incidunt; superflucietenus tantum recipiuntur, non admittuntur in interiora. Sic Dei docibiles Joan. 6. 45. Omnes sinus, totum pectus, pandunt; cum Deum, vel de Deo, audiunt, aut legunt. Filii autem hujus sæculi, quia obdurat sunt corde, oculos claudunt, ne videant; aures obdurant, ne audiant divinam veritatem. Stengelius t. 1. judic. div. c. 1.

Auditorum intellectus est, tanquam filix; Prædicatores verò tanquam ferrum. Videbitis aliquando otiosos, qui ex filice ferrò ignem excutunt; non ut ignem accendant, sed ut videant, quomodo evolvant scintilla. Vix scintilla exilit, cum clamat en! ut hæc scintilla volavit. Percutunt iterum; & ajunt, plus ista volavit, sed, licet plures iterent ictus, nunquam tamen ignem accendent, qui escam non admovent filici. Sic Auditores conveniunt, ut Prædicatores illos suis vocibus, & aures, & animos, feriant; non ut charitatis ignis accendatur; sed ut videant, quæ scintilla plus volent? quis in verbis ornatior sit? quis in rebus eruditior? Et ita dicunt: melior est hic Prædicator, quam ille. Et nunquam divini amoris ignis accenditur, quia non applicant escam, quæ est voluntas, ut ignem concipiat. Diez conc. 3. D. 3. Adv.

Sol ubique lucet, & tamen ubiq; aurum non generat; sed in terra ad hoc dispositâ. Et Deus ubiq; pluit; fructum tamen in terra solum dispositâ producit. Broymard.

§. XV.

Verbum Dei quibus exosum.

MAnhu! Exod. 16. 15. Ad manna de cœlo depluens clamabant Hebræi: post aliquot annos carnes petunt: da nobis carnes, ut comedamus; *anima nostra nauseat super cibo isto levissimo.* Num. 21. 5. cum tamen primum suavem saporem retineret. Manna nequaquam immutatum est; sed rebellium gustus est alius; ut sylvestrem corticem spernant; quod, prius quasi panem Angelicum mirabantur. Idem respondeo dicenti, ubi est Verbum Domini? ibi est, ubi prius erat, & inde scaturit. Vos ipsi id initio fugebatis, ut mel suavissimum. Honor ille, quem in sententias probas concipitis; odium, quò flagritis in prudentes monitores; oriuntur ex depravatione vestrarum mentium, non à corrupto consiliorum sapore. Oliva. t. 3. conc. 8. dec. 5. Ven. Quadr.

Magister, hæc dicens etiam contumeliam nobis facis. Luc. 11. 45. Quam misera conscientia! quæ, auditò Dei Verbò, contumeliam

Ppp pp

sibi

sibi fieri putat. V. Beda. Itā etiamnum improbi, dum Concionatores vitia, quorum sibi conscii sunt, castigant; censent sibi ab eis contumeliam fieri; ideoque eos persequuntur. Cornelius hic.

Lumen est agris oculis odiosum: sic Verbum Dei hominibus pravè dispositis molestum. Geminiani l. 1. c. 82.

Aliqui nolunt audire Verbum Dei, quia vita illorum mala est iis delectabilis, & lucrativa. Hi sunt sicut illi, quod reliquiae S. Martini portatae per civitatem in via infirmos sanarent: cum semel portandas audirent, fugerunt; ne sanarentur, & lucrum mendicationis perderent. Broymard Verbum Dei.

§. XVI.

Verbi Dei qui incapaces; in quibus sterile.

Vox quidem vox Jacob est &c. Gen. 27.

22. Deceptus est Isaac, quia magis credidit rudiori sensui, scilicet tactui; quam subtiliori, qui est auditus. Cur tam pauci proficiunt auditō Verbō Dei? quia sensuales sunt; quia quae faciunt, sunt praesentia; tanguntur, palpantur: quae audiuntur, sunt spiritualia, futura sequuntur sensum hebetiorem: magis timetur hominis iudicis poena imminens; quam divini, qui putatur remotior. Diez D. 3. Quadr.

Per totam mortem laborantes nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete. Luc. 5. 5. S. Petrus totā nocte in piscatione laborans, nihil cepit; in Verbo autem Domi-

ni rete laxans, multitudinem piscium conclusit; itā nos cum vitiis, & peccatis, in tenebris praedicamus, quasi in nocte frustra laboramus; & ideo nihil capimus, sed verba in cassum fundimus. Quia nimirum sermo Dei in hoc non capit, qui tantum terrena sapit. S. Hieronius l. D. 5. Pent. Qui terra sunt, & terrena sapiunt, & non possunt percipere, quae sunt Spiritus Dei; famem Verbi Dei patiuntur, legis mandata non audiunt, correptiones Prophetarum nesciunt, Apostolicas consolationes ignorant, nec sentiunt Evangelij medicinam. Origenes hom. 16. in Gen.

Herodes sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Luc. 23. 9. Multi cupiunt Verbum Dei ob curiositatem tantum audire; unde illō indigni sunt. Herodi curioso Christus nec verbum locutus est. O Verbum Patris aeterni! cur taces? cum Herode te videre, & audire, desiderat? cur ipsum de crudelitate in Joannem, de adulterio non corripis? &c. Diez Concionis auditor. - Sicut plerique tabulas, in quibus Dominica Passio ad vivum expressa, curiositatis magis, quam devotionis, affectu contemplantur: itā multi in sanctis concionibus, non quae ad pietatem pertinent, sed solum dicendi artem, attendunt &c. Idem ibidem.

In vasis argenteis, seu aureis, difficilimè bullire potest ipsa aqua: quia humiditas & frigiditas, argenti actionem ignis, & ebullitionem, reprimunt: sic in divitibus, avaris &c. vix bulliet amor suavitatis coelestis. Brengarius Ep. in similitudinibus.

TITULUS V.

VERECUNDIA.

Mirum dictū est: nutritus (Nebridius Salvinæ maritus) in palatio; contubernalis, & condiscipulus, Augustorum; quorum mensae ministrat Orbis; & terrae, ac maria, serviunt: inter rerum omniū abundantiam, in primo ætatis flore, tantæ verecundia fuit, ut virginalem pudorem vinceret; & ne levem quidem in se obsceni rumoris fabulam daret. S. Hieron. ep. 9. ad Salvianam de servanda viduitate.

Pudicitia semper ornatur solò pudore: bene sibi tunc conscia de pulchritudine, si improbis displicet. Pudicitia nihil ornamentorum quærit; decus suum ipsa est. S. Cyprianus l. de bono pudicitiae.

Quid amabilius verecundō adolescente? quam pulchra hæc, & quam splendida gemma mo-

rum in vita, & vultu, adolescentis. Testis innocentiae, lampas est pudicæ mentis; jugiter lucens; ut nil in ea turpe, vel indecorum, residere attenter, quod non illa illico prodat. Specialis gloria conscientiae, & famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & insigne totius honesti. S. Bernardus l. 36. in Cant.

Verecundia, quasi aurora quadam, omnium actuum colorat principia; & virgineas virtutes reliquas venustat pudore. Gilbertus l. 25. in Cant.

Diluculum. Lem. *Absque rubore nunquam.* Picinelli.

Vide Pudor.

TITU-